

SESSION 1991

AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

LA TRISTE CONDITION DES GRAMMAIRIENS

Quis gremio Celadi doctique Palaemonis¹ adfert
quantum grammaticus meruit labor ? et tamen ex hoc,
quodcumque est (minus est autem quam rhetoris aera),
discipuli custos praemordet acoenonoetus
et qui dispensat frangit sibi. cede, Palaemon,
et patere inde aliquid decrescere, non aliter quam
institor hibernae tegetis niueique cadurci,
dummodo non pereat mediae quod noctis ab hora
sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet
qui docet obliquo lanam deducere ferro,
dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas
quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.
rara tamen merces quae cognitione tribuni
non egeat. sed uos saeuas inponite leges,
ut praeceptorum uerborum regula constet,
ut legat historias, auctores nouerit omnes
tamquam unguis digitosque suos, ut forte rogatus,
dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
nutricem Anchisae, nomen patriamque nouercae
Anchemoli, dicat quot Acestes uixerit annis,
quot Siculi Phrygibus uini donauerit urnas.
exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
ut si quis cera uultum facit ; exigite ut sit
et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
ne faciant uicibus. non est leue tot puerorum
obseruare manus oculosque in fine tremantis.
'haec' inquit 'cura ; sed cum se uerterit annus,
accipe, uictori populus quod postulat, aurum.'

1Celadus, -i (m.) et Palaemon, -onis (m.) sont des grammairiens.

JUVENAL, *Saturae*, VII, 215-243